



St. ...



1. Aug. Varenij diff. de religione tutissima. 1656.
2. petri Malberg diff. de veritate Christianismi. 1706.
3. Berah. v. Landen diff. de norma controversiarum fidei. 1709.
4. Sam. Schelguyij diff. de haereticis fugiendis. 1689.
5. Henr. Lysij programma. 1725.
6. eisdem diff. de oppositae 1725.
7. God. Weyeri diff. de ambitu theologiae 1708.
8. Christoph. Langhaus animadversiones in anonymi theologiae astronomicae Systema. 1718.
9. God. Deutch diff. de natura theologiae moralis. 1708.
10. Wilh. Luteri explicatio dicti Ezech.

XIV v. ad ...  
 proter.  
 Articulus  
 1037.

11  
 12  
 13  
 14  
 15  
 16  
 17  
 18  
 19  
 20  
 21  
 22  
 23  
 24  
 +  
 26  
 27



38.  
CONTRA  
NEMINISTAS  
ET NEMINISTICA  
SCRIPTA.

D. IOHANNES WIGANDVS  
Episcopus Pomezaniensis.

REGIOMONTI BORVSSIÆ  
Typis Georgij Osterbergeri.  
Anno 1576.

CONTRA  
NEMINISTAS  
ET NEMINISTICA  
SCRIPTA

D. JOHANNES WIGANDVS  
Episcopus Pommeraniensis

REGIOMONTI BORVSSIE  
Typis Georgij Olsbergger  
Anno 1576

CONTRA  
NEMINISTAS  
ET NEMINISTICA  
SCRIPTA.



*M*IRARERUM uicissitudo est. Creuit hactenus *LVX* Euangelij, miranda Dei clementia & operatione. Nunc uero *TENEBRAE* horrendae, horrendi Diaboli potentia et grassatione, rursus ingruunt. Gaudebat Confessio ueritatis Euangelicae, paulo ante candore ac Rectitudine, & Doctores eius suo nomina intrepide proferebant, recta conscientia nixi. Nunc uero iterum gaudent nonnulli homines praestigijs, flexiloquis orationibus, decipulis, fascinationibus, & plurima scripta addunt, atque in Ecclesiam Dei spargunt, nominibus suis occultatis atque suppressis. Cur autem ista fiant, & quod dirigantur, non est obscurum. Nam aliqui mala conscientia uulnerati, metuunt, ne in mendacijs atque imposturis deprehensi, uel infamia, uel alijs modis poenas luant. Aliqui putant sese licentius, nomine suo non expresso, in alios inuehere, et tanquam absque corde et fronte, quaelibet in alios euomere, & tamen non deprehendi, non

*A z* uicissim.

uicissim feriri posse. Quis enim cum umbra aut larua  
pugnabit? Tali pacto sub istis laruis, impune ridetur &  
exibilatur Deus, Religio & omnes pij.

Polter-  
geister.

Sub Papatu quidem, uagabantur in domibus spiri-  
tus turbatores, **Poltergeister**, qui excitato tumultu e-  
uanescabant, ac si quis eos uellet ferire, tum uerberatio-  
nem in eum retorquebant qui uerberabat, ut homines se-  
metipsos lederent. Ac interdum accepto damno, audie-  
batur salsus cachinnus seu sarcasmus. Nunc uero (proh  
dolor) illi, qui Christiani, imò qui Theologi haberi uolunt,  
Nebulas quasi induentes in rebus Religionis grauis-  
misq; controuersijs, sine suis Nominibus quaelibet ebla-  
terant, & tetra conuicia, imò & blasphemias effun-  
dunt. Iam autem cum non sit manifestum, cuius os impu-  
dens, mendax, blasphemum, ingenua ueritatis confessione  
retundendum sit: **Nebulones** dici merentur, bellum suscipiet? Ipsi in an-  
tris suis sardonium risum rident, lætanturq; unice, quòd  
eis impune conuiciari ac maledicere liceat.

Sed cum non debeant omnes boni ad tantam degene-  
rationem Ecclesie Dei coniuere, & ad tantas impo-  
sturas tacere, uisum est, istius noue Secte Imaginem  
quandam ab oculis ponere, si forte aliqui possent commo-  
nes fieri, ne tam illiberaliter, imò uerius, ne tam impie &  
Scelerate

2

Sceleratè causas diuinas tractent, ac discant, candidè,  
apertè, ingenue coram Ecclesia Dei agere & loqui.  
Deinde uerò, ut ij, qui ueram pietatem, non fucatam se-  
quuntur, discant eiusmodi præstigias & Præstigiatores  
cognoscere, fugere, et execrari. Nam in eiusmodi Ne-  
ministarum scriptionibus omnia merito sunt suspecta, ac  
iure uitanda. Pietas enim claram lucem amat, non tene-  
bras: Ingenuitate delectatur, non præstigijs ac dolis.  
Prodeat igitur hoc monstrum horrendum, ingens, pestife-  
rum, & quidem in præcipuis partibus inspiciatur.

No.

Neminista appellatur talis Scriptor hoc in loco, Neminista  
qui libros in causis Religionis, uel solus, uel cum alijs æ-  
dens, data opera Nomen suum occultat, ne deprehenda-  
tur, idq; in fraudem. Hinc facile est intelligere, quid hoc  
loco Neministica scripta appellemus. Multa autem  
sunt, quæ in hac summaria descriptione Neministæ, mox  
pijs mentibus nauseam ciere possunt, ut eos abhorreant.  
Sed Analysin quandam instituamus.

Efficiens.

Autor Neministarum, quò ad Sectam ac molitio-  
nes istas, nequaquam Deus est. Nam Deus est autor  
lucis & ingenuitatis, Imò Deus est æterna lux, ueri-  
tas, iustitia, nec occultat suum nomen. Vult etiam suum  
uerbum prædicari in suo Nomine, hoc est, se nominato.

A 5

Quam

Quam crebro prophetae hac locutione utuntur: Ichouas  
dicit? Sed Neministarum autor est spiritus mendacij  
& uertiginis. Eius uero proprium est, in tenebris, in  
nocte, in occulto agere. Atq; utile instrumentum isti  
spiritui maligno est, **MALICIA** carnis humane.

Nec immerito homines Tenebrae appellantur post  
lapsum, quia lucem & rectitudinem, diuinitus eis in pri-  
ma creatione inspiratam, Satan extinguit, atq; horrendam  
caecitatem & peruersitatem eis (ut sic dicam) inhalauit.  
Etsi autem modum definire non possumus, tamen factum  
a posteriori extra controuersiam positum est. Quid igitur  
mirum, si tenebrae ament tenebras, filij noctis nocte  
se se tegant, & interim tamen operibus noctis Ecclesi-  
am Christi turbare non desinant?

Hinc igitur hoc argumentum contextitur:

Quicumq; nominibus suis occultatis, in fraudem Ec-  
clesiae spargunt scripta, non sunt ex Deo, sed ex spiritu  
tenebrarum.

Neministae praesentes, hoc impressis libellis factitāt.

Ergo, Neministae illi non a Deo, sed a Spiritu te-  
nebrarum hac in parte agitantur. Sic enim fructus de ar-  
bore, fabrica de fabro testimonia perhibent. Nam Chris-  
tus ipse inquit: Ex operibus ipsorum cognoscetis eos.  
Iungendae



3  
Iungendæ itaq; sunt istæ causæ impulsivæ in Neministis:  
Tenebrosa & maliciosa natura hominum: Instigator  
Spiritus tenebrarum: Libido mentiendi & maledicen-  
di: Cupiditas uindictæ: Mala & liuida conscientia:  
Metus, ne deprehensus uel infamia notetur, uel in aliud  
periculum aut damnum incidat. Sed ista ex sequentibus  
magis perspicua fient.

Priusquam autem ad reliqua transeo, & hoc consi-  
deretur. Notum est, Romæ in sede Antichristi, Pas-  
quilli quoq; sedem esse. Sed Antichristi regnum, est re-  
regnum Tenebrarum. Conuenientissime igitur cohabi-  
tant. Antichristus est à Satana, teste Paulo & Iohan-  
ne. Ergo & Pasquillus ille cum suis Ministris, eundem  
habet autorem.

#### Materia.

Non substantias Neministarum in præsentia delineo,  
sed Neministicos illos conatus & studia. Sūt igitur præ-  
sentium Neministarum Materia ex qua, cor peruersum,  
non serio timens Deū, & liuore accensum. Materia cir-  
ca quã, sunt res Religionis, ut pote, dogmata, facta pieta-  
tis nomine, scripta, homines pij improbantes ac refutantes  
dogmata falsa, aut peccata & scelera aliorum. In primis  
uero libellos, qui erroribus opponuntur, Cainico fremitu  
& liuore

Et liuore inuadunt Neministæ, quibuscunq; modis possunt, uellicant aut lacerant, sicuti catelli panniculos solent distrabere & perdere.

De Pasquillis politicis hoc loco nihil agam. Nam tales sunt rariores, & magis obseruantur ac reprimuntur à Magistratibus, quàm Ecclesiastici. Neministarū autem præsentium agmen, hoc seculo in Ecclesia Dei grassans, ingens nascitur, ac ueluti locustarum exercitus radios Solis obscurare molitur. Sed qui uoraces illas locustas solet delere, quando uentres suos graminiibus exturbarunt, is Neministis quoq; suas statuet metas. Non igitur paruifaciendi sunt illi noctis spiritus, quia adorantur non mures aut auiculas, ut ululæ, bubones, Martes non lardum aut carnes in domo suspensas uorant, ut uespertiones, Sed impetum faciunt in ipsum Dei Verbum quo nihil habemus religiosius, nihil præstantius, nihil salutaris. Et gloria Dei impetitur, quæ labefacto uerbo coelitus patefacto & tradito, obscuratur et deformatur. Nam extra ueritatem uerbi diuini, non est salus. Nemo igitur putet esse iocum, quod Neministæ nominibus suis contectis, quælibet effutiunt: Sed sciat sibi attendit esse diligenter, ne Depositū preciosum uerbi diuini, aut eius puritas amittatur. Nam eaiactura non tantum in temporale, sed etiam in æternum damnū redundat.

Forma.

## Forma.

Nullus Proteus tam est uariabilis, nullus Polypus, nullus Chamæleon toties tamq̃ mirabiliter colores suos uariare potest, quam Neministæ sese in uarias formas conuertere norunt. Non igitur breui narratione satis possunt depingi. Tantum itaq̃ aliquot ipsorum notas seu proprietates indicabimus, ex quibus reliquæ colligi possunt. Est igitur prima.

1. Impudentia incredibilis, in falsis dogmatibus canonisandis ac fucandis, uel peccatis suis ornandis, ac uenditandis pro bonis operibus, ut uidere est in Exegesi Sacramentariorum.

2. Licentia effrenis in confingendis ac proferendis mendacijs, tum de dogmatibus, tum de factis, uel suis, uel aliorum. Quælibet enim sibi licere putant. Et multa alijs non essent prolaturi unquam, quæ tamen sub Neministarum uelamento, absq̃ pudore pronunciant. Sic Exegetis, sic Heidelbergenses non uerentur mentiri, Lutherum recantasse suam de sacra Coena doctrinam.

3. Licentia effrenis in detorquendis ac deprauandis dictis Scripturæ sacre, Patrum, & scriptis aliorum recte sentientium. Sic Neministæ non uerentur Augustanam Confessionem ad stabiliendos suos errores, per erines ad sese quasi pertrahere ac raptare.

B

4. Licentia

4. *Licentia effrenis in maledicendo, conuiciando, iniuriando, maculas tetras aspergendo. Calūnia itaq; et maledicentia, hic quasi laxatis habenis effuse currunt ac dominantur, ut in Exegesi, in Scholasticorum Sacramentariorum, alijsq; scriptis Neministarum integra maria conuiciorum uides esse collecta, omnisq; generis contumeliosas & iniurias locutiones, ex Plauto, ex Satyris, ex Luciano, & similibus impuris Authoribus excerptas, ut non legas in toto mundo rabiosiores & crudeliores Inuectiuas in manus hominum uenisse unquam, quam sunt Neministica illa Scripta.*

5. *Scurrilitas & dicacitas, non abstinens a fædis, ab impudicis, a sceleratis uerbis, absq; respectu honestarum aurium. Quid enim impurus Spiritus ex spurco suo ingenio aliud efflaret? Sic Sacramentarij dicunt, esse Cyclopas, Anthropophagos, Sanguisugas, qui ueram Corporis & sanguinis Christi præsentiam, in usu cœnæ sacrae statuunt.*

6. *Dolositas. Nam omnia dolo malo agunt. Nulla rectitudo, nullus candor, nullus timor Dei est in eis. Si enim Deum ob oculos haberent, contraherent nonnihil sua mendaciorum uela, ac metuerent Deum iudicem. Sed non est Deus, non uidet, sunt omnes cogitationes eorum.*

7. *Huc pertinent Neministarum perplexitas, ambigua*

**S**  
bigua & flexiloqua dicta, dissimulatio principalis nego-  
cij, fallacia plurium propositionum. Sic iam Sacramenta-  
rij didicerunt loqui fallaciter, se non ponere pura signa,  
sed sanguinem & carnem esse in Coena praesentia, & co-  
medi & bibi in eius usu, ad Fidei confirmationem. Hac  
arte multos fascinant, ita sermonem instituentes, quasi ad  
nostram sententiam accedant. Sed postea sese euolentes,  
aiunt, uirtute adesse Christum, substantia uero abesse tam  
procul, ac coelum est a terra.

8. Inconstantia, uolubilitas in uerbis & sententijs.  
Nam in hoc Nemistarum regno, dominantur Eceboli,  
Vertumni, Basilidiani, Arundines, Vexilla tectorum.  
Abest ingenuitas, candor, rectitudo.

9. Frons ferrea, perfricta. Nulla erubescencia. Cor  
poenitere nescium. Nam etiam moniti atq; conuicti, non  
agnoscunt culpam, non dolent, non petunt a Deo ueniam.  
Imo persuadent sibi, esse opera ad suam salutem imprimis  
necessaria, quae quidem etiam in nouissimo die sibi glorio-  
sa & meritoria futura esse imaginantur.

10. Impunitatis & latitationis persuasio, quia No-  
men suum occultent, & ex tenebris pugnam cieant. Si e-  
nim Magistratus eos uelit punire, negant se autores, quia  
sua Nomina in eo Scripto non reperiantur. Si quis eos  
refutet, negant ad se pertinere, quia Scriptum non praese-  
ferat Nomen.

B z

II. Sarcas-

**II.** Sarcasmus, risus, cachinni, quod aliis suis conui-  
tjis, pro animorum suorum libidinibus, foede conspuerint  
atq; deformarint. Item, Exibilationes, si quid contra op-  
ponatur, cum sua Nomina ignorentur, nec tangantur.  
Sed tanget eos Deus, procul dubio, cuius oculos non la-  
tent, neq; iudicium eius effugient.

**IZ.** Ficticia nomina, seu Nebulae oculis obiectae. Ut  
Adiaphoristae suae causae diffidentes, Scholasticorum  
Nomina praetendunt. Sacramentarij Albinos profe-  
runt, Item defunctorum Nomina, ut refutatores uel cum  
laruis ac lemuribus, uel cum umbris mortuorum pugnare  
uideantur. Sic iam Exegeleos Sacramentariae autorem  
fingunt esse quendam procul a se remotum, & quidem de-  
functum Curaeum. Hoc commento sibi mirifice placent,  
rident Deum irascentem atq; Ecclesiam offensam. Se  
extra noxam esse dictitant, Mortuos inuis trahi posse,  
non sese, qui sint mundi, scilicet. Noxitaq; & tenebrae,  
nebulaeq; densae, habitacula sunt Nemini illius ueteris  
Nebulonis. Et sic coram hominibus quidem, sed non co-  
ram Deo, euadit impune.

Locus ubi Nemini stae furunt, suisq; maliciosis Scri-  
ptis supera atq; infera miscere conantur, est Ecclesia.  
**Matt. 13.** Nam NOCTE (inquit Christus) homo inimicus ZI-  
ZANIA inter triticum in agrum dispergit.

Sparsio

6

Sparsio etiam Neministicorum scriptorum, est mirabilis. Nam quacunq; possunt arte substituunt, supponunt, immittunt, insinuant illos suos foetus, gratis & pro precio. Tantum unam hanc imposturam specta. Aeditum est superiori anno 1575. Heidelbergæ scriptum latinum, atq; sine Nomine, Titulo: Consensus orthodoxus de sententia uerborum Coenæ Domini. Huic Scripto inserta est cantilena germanica, sine Autoris nomine, de Calvinistis prorsus Sacramentaria & maledica, ut hac illiberali arte hominibus obtruderetur, quamuis Scriptum per se satis superq; abundet Conuicijs. Item, eodem anno in librum Bullingeri contra Iacobum Andreae scriptum, imposuerunt pro sua fraude carmen, sine Autoris nomine.

Ex hisce igitur notis, & tot monstrorum ac scele-  
rum colluue, aliquomodo licet formam Neministarum  
cognoscere, indeq; colligere, quod nullæ Hyenæ noctu-  
tan sint insidiosæ, tamq; crudeles, atq; hoc nouum Nemi-  
nistarum agmen, inter Adiaphoristas & Sacramenta-  
rios pertinaces ac feroces potissimum, isto postremo  
Mundi seculo exortum, ac longe lateq; grassans.

Finis.

I. Fucatio ac propagatio falsorum dogmatum, aut de-  
fensio defectionum, aliorumq; peccatorum. Cùm enim a-  
perte non ausint nec possint tueri errores atq; errata, ad  
eiusmodi Nebulosa scripta sese recipiunt. Vin-

2. *Vindictæ cupiditas.* Nam alia ratione non existimant sese uirulentius aduersarios suos uindicare posse.

3. *Deformatio rectæ doctrinæ & recte sententiũ,*  
Inprimis uerò eorum, qui suis præstigijs ac nefarijs molitionibus, uel scriptis uel alia ratione oblectantur. Nouit enim hoc artificium Satan, quòd denigratis atq; in odium adductis personis, facilius suas præstigias uenditare, atq; in rudium pectora instillare queat. Suos igitur Neministas ad hoc instigat, ut ranas, bufones, serpentes, scorpiones, in pios uiros, cū omni sordii genere copiose expuant.

4. *Turbatio Ecclesiæ.* Nam sciunt hanc ueterem artem, turbatis aquis, facilius capi pisces.

5. *Ne fiant infames coram Ecclesia,* si nominibus deprehensis, tanquam lupi et impostores publice notarẽtur. Nebulosis itaq; cappis induti, impunitatem sibi perpetuã spondent, nisi quòd interdum ueluti Cumani Asini deprehendantur, & uerbi diuini baculum sentiant.

## CAVSÆ.

Cur Neministica scripta ædere,  
sit peccatum.

Ex ista Neministarum, quantumuis exigua delineatione, facile est cogitare, quòd non sit liberum, neq; honestum, neq; piuum, neq; utile, Neministica scripta in Ecclesiam



siam Christi dispergere. Cum autem affectus sæpe iudicium rectum impediunt, & multi non expendant, quantum mali subsit, non grauabor aliquot causas commemorare. Sunt autem istæ præcipuæ:

1. Quia Neministica illa scripta, de quibus hic disserimus, non sunt ex Spiritu sancto, sed ex spiritu impuro potius, instigante homines ad serenda mendacia, & excusanda & ornanda peccata, ad effundenda conuicia. Esse autem organon maligni & maledici spiritus, eiusque quasi tela euomere, profecto non est exiguum peccatum. Imò debebant homines cohorrescere, quòd hac in parte incitatore habent non Deum, sed Diabolum. Qui autem seruit Diabolo, is tandem etiam ab eo præmia accipit. Ut uulgò dici solet: **Wem man dienet / der lohnet im auch.**

2. Quia Neministica illa scripta oriuntur ex corde liuido, exulcerato, sibi malè conscio, ardente cupiditate uindictæ. Sunt igitur fructus malarum arborum. Nã ex amore Dei & zelo pro ueritate, & ex dilectione proximi nequaquam instituuntur. Si enim pietas uera seriãque in corde flagraret, ingenua potius et aperta confessione delectaretur, neque erubesceret in pijs factis, etiam Nomen suum profiteri.

3. Quia Neministica illa scripta, omni freno ac pudore  
carent

carent, modumq; non seruant, ac sunt meræ inuectiue, au-  
dentq; ea proferre, quæ aliàs nunquam Autor nomine  
suo adiecto, pronunciaret, iudicium nimirum aut refuta-  
tionem extimescens. Non itaq; ullum Deum uerentur,  
non ullam spectant honestatem Neminiſtæ, regnantq; in  
ijs, atq; ueluti in foedito stagno regurgitant atq; exun-  
dant, mendacia, calumniæ, maledicta, conuicia, quibus  
miseri Neminiſtæ sese immergunt.

4. Quia nulla est rectitudo, nulla ingenuitas, nulla  
dexteritas in Neminiſticis scriptis, sed fraudulenter, do-  
lose, scelerate pleraq; peruertuntur falsis narrationibus,  
interpretationibus, detorsionibus, ita, ut nunquam magis  
sophistica & sycophantia & Ulyſſeæ artes locum habe-  
ant, quam in illis nebulosis scriptis.

5. Quia merito suspecta habentur, & omni fide ca-  
rent. Nam eam ipsam ob causam Nomina dissimulantur,  
quia autores nolunt de singulis rationem reddere.

6. Quia sunt famosa scripta, non tantum eo, quod No-  
mina sua autores occultant, sed quia conuicijs spurcis &  
inhonestis scatent. Sunt igitur contra Leges ciuiles &  
honestatem publicam.

7. Quia sunt scandalosa scripta, quæ etiam alios fa-  
ciunt peccare. Nam calumniare (inquit ille) audacter,  
semper aliquid hæret. Suis igitur calumnijs multos læ-  
dunt.

dunt. Imò & alijs, ut similia famosa Scripta ædant, pessimo exemplo sunt.

8. Quia non ornant gloriam Dei, sed dedecorant, quia errores & peccata fucis et maledicētia exornant.

9. Quia Christus ipse de eis iudicium pronunciat, omnis qui male agit (inquit) odit lucem, et non uenit ad lucem, ut non arguantur opera eius. Ioh. 3. Ergo Christus eiusmodi Neminiistica scripta damnat, estq; grauis eius querela: Dilexerunt inquit, homines magis tenebras, quam lucem: Erant enim eorum opera mala.

10. Quia est species mali, quam iuxta Apostolum, omnes cauere debent.

I. Thes. 5.

11. Quia omnes uerè pij, imò omnes mediocriter honesti homines, talia Neminiistica scripta, conuicijs et spurcicie plena, abominantur & improbant.

12. Quia Deus sine omni dubitatione in hoc sæculo eiusmodi Neminiistas improbos & maledicos punire solet, ut etiã recentia exempla possent cōmemorari non pauca in poetis, Theologis, & politicis, & suo tempore omnino recēsenda erunt: Sed etiam in nouissimo iudicio, grauius arguet atq; uindicabit eos Deus. Non enim uana est hæc uox Christi, iudicis uiuorum & mortuorum. Reddendã esse rationem pro unoquoq; uerbo otioso. Sed scripta Neminiistica continent ingentia plaustra, imò integra maria

Matth. 12.

C

maledi-

maledictorum et conuiciorum. Non igitur lætetur quisquam de Nemisticis illis scriptis, sed sciat, hunc inspectorem & iudicem uerba sua facturum esse.

Postremo adscribemus Nemistarū uiuā Imaginem, ex Propheta Dauide, qui sic inquit: *A*cuunt linguas suas, ut gladium, dirigunt uirulenta uerba sua ceu sagittas, ut *OCCULTE* sagittēt Integrū, subito iaculētur in eū, nihil timentes, *A*udaces sunt malis conatibus, consultant quemadmodum laqueos ponant, et dicunt, *Q*uis uidebit eos? *E*xcogitant nocendi modos, & *CAELANT*, astutissimi sunt corde profundo. Sed subito *SAGITTA* BIT eos Deus, & sentient plagam suam, Psalm 64.

#### Obiectio.

Sed procul dubio uel maleuoli atq; mordaces, uel etiam alij Nasuti, obijcient: In persecutionibus, aut alioquin periculosis temporibus, uel Nomen occultari, uel aliud fingi atq; obtrudi graui consilio. Ea enim ratione de rebus magnis Ecclesiam Dei commone fieri, id quod alioquin intermitteretur. Sic tēpore Interim inquit quædam ædita sunt, nomine Christiani Waremundi etc. & in Psal. 94. annotationes quidam uir magni nominis, sub titulo Iohannis Witlingi in lucem emisit. Aretius Felinus commentarios in psalterium euulgauit. Dydimus Fauentinus Apologiam pro Luthero ædidi, quorum tamen auctores non ignorantur.

Respon-

9  
Respon. Etsi discernendum est interscripta maledica  
& ad fallendum ac fascinandum homines composita, et in-  
ter sana, sobria, uera scripta, Tamen et hæc Norma nota  
est: Ex Regulis, & non ex Exemplis esse iudicandū. Et  
ueritas semper gaudet candore, ingenuitate, luce multo  
magis, quã occultatione & inuolucris. Præterea Deus  
satis potēs est, ad cōseruandos et defendēdos apertos suæ  
ueritatis confessores. Nec perit ueritas, licet aliqui  
Martyris suis eam obsignent atq; ornent. Nec dubium  
est, consilium Dei consilijs humanis anteferendum esse.  
Sed Deus consulit, imò præcipit, ut quisq; suam confessi-  
onem corã hominibus proferat. Item uult, lucem nostram *Matth. 5.*  
coram hominibus fulgere, ut uideant nostra bona opera.  
Si itaq; nostra bona opera alij homines uidere debent,  
& scire, quòd ea sint nostra, hoc est, Deus per nos ea  
efficiat, tum sanè Nomen nostrum non est subtrahen-  
dum & abscondendum. Nam Neministica scripta nulli-  
us censentur. Imò, bona etiam Scripta propter hanc no-  
minis sui occultationem, uel substitutionem conficti nomi-  
nis redduntur suspecta. Nam sicut auiculis aut reliquis  
animalibus, merito suspecta habētur retia, ubi auceps, uel  
uenator se abscondit sub fruticetis aut domūcula: Ita in Ec-  
clesia non iniuria pleraq; talia scripta, ubi nomen Au-  
toris abest, uel laruata quædam nomina (ut sic uocem)

C z

primo

primo limine offeruntur, suspecta habentur, et nō possunt  
absq; metu aliquo legi. Optandum igitur est, ut potius ho-  
mines recti, recta, facieq; sua reuelata dicāt, scribāt pro-  
ferantq; ea quæ ad confessionem & propagationem ueri-  
tatis cœlestis pertinere uidentur, quàm ut ficticiam lar-  
uam induant, idq; tantum ex humano consilio, ut sua quædã  
pericula euitent, quæ tamen non sunt in sua potestate, sed  
Dei omnipotentis. Præclare enim à Luthero dictū est:

Epistola ad  
Iustum Io-  
nam, in co-  
mitijs Au-  
gustanis  
Anno  
1530.  
Tom. 5.  
german.

Sit sane, pax quicquid ualet in oculis nostris, Sed autor  
pacis et arbiter bellorū est maior pace & magis colen-  
dus. Neq; nostrum est diuinare bella futura. Nostrū est  
simpliciter credere et confiteri: Sed Ratiocinatores  
periculorum, semper sunt quam plurimi: Confessores uerō  
præsertim in periculis, quàm paucissimi. Nam ratio hu-  
mana sapientiam Dei existimat esse stultitiam uel stoicif-  
mum horridum, rigidum, perniciosum.

N.

Sed demus hoc quoq; imbecillitatem quandam piorum  
interdum ferendam, uel saltem non morose ad uiuum quasi  
ressecandam esse. Interim tamen hoc principiū nemo euer-  
tet: Maledicentiam effrenem nunquam probandam esse,  
nec admittere ullam excusationem. Ea autem iam passim  
in plurimorum Neministicis scriptis elucet. Insuper hac  
arte, errores mendacis et fucis improbe pinguntur atq;  
disseminantur. Non itaq; est, quod sese aliorum exemplis  
quis

10  
quis muniat. Nam plurimum illæ scriptiones, efficiente,  
materia, forma, ac fine differunt.

z. Obiectio.

Sunt lusus quorundam etiam præstantium uirorum, ut  
sunt: Epistolæ obscurorum uirorum. Lecturæ aliquot ri-  
diculæ Magistrorum nostrorum sub papatu. De reliquijs  
Moguntinis, quod ibi monstretur ouum Spiritus sancti,  
frustū de sinistro cornu Moysis, aliquot bōbi de tubis sonā-  
tibus ad muros Iericho. De septē malis in charta Diaboli.

Respondeo. Arguere & exhibere ruditatē & ine-  
ptias Antichristi et Idololatrarū, nemo improbat quidē.  
Imò nec illa morositas probanda est, quasi pio homini non  
liceat interdum iocari. Sed non exemplis, uerū regulis,  
ipsoq; iure diuino hic agendū, imò et iudicandū est. Cogi-  
tandum itaq; est hoc loco, de quibus rebus & coram quo  
agatur. Res sunt Ecclesiasticæ, doctrinam, aut ritus, aut  
facta pietatis potissimum concernentes. Inspector atq;  
auditor, imò iudex talium est Deus, qui de quolibet uerbo  
est rationem postulaturus, teste omniscio Christo. Alter **Matt. 12.**  
inspector atq; auditor est Ecclesia Dei, quæ aperta atq;  
ingenua ueritate est erudienda, confirmanda et regenda.  
Et quāta sit in Ecclesia Dei uarietas hominū, publice in  
cōspectu uersatur. Satius igitur et procul dubio rectius  
foret (id quod citra cuiusq; ignominiam dictū uelim) no-

mina autorum adijci. Præterea iam hoc seculū est tā per-  
uersum, ut exempla aliorū male imitetur, ac postea suæ di-  
cacitatis & petulantiae tegumenta quærat.

3. Obiectio.

Usitatum est, à consistorijs & collegijs, absq; no-  
mine, in genere tantū proferrī iudicia?

Respon. Nos hic de publicis libris, scriptisq; disseri-  
mus, quæ de rebus Ecclesiasticis disputāt, et uel defensio-  
nis, uel insectationis, uel etiā doctrinæ gratia publicātur.

Non igitur dubito, multos in Ecclesia Christi pios,  
quibus Religio uera cordi curæq; est, uehemēter dolere,  
repleri iam hanc ultimā. Mundi totius ætatē, Neminist-  
cis illis scriptis, maledicentia & imposturis redundanti-  
bus. Nā Adiphoristæ, qui tempore Interim tentabāt se-  
se pontificiæ Religioni accommodare, sic (ut tunc quidē  
illa uox sonabat) quò propius Papæ, eò melius: Plurima  
scripta sine Nomine ualde uirulenta, et quædā sub Scho-  
lasticorum nominibus prodiderunt, in quibus omnis male-  
dicentiæ frenalaxata sunt. Postea cœperunt alia arte uti.  
Nam quædam protulerunt sub nomine Decanorū et Col-  
legiarum facultatis Theologicæ; ubi peregrini non sciunt,  
quinā illi sint, & sæpe personæ illæ uariant. Sic extrusa  
est Sacramētaria illa Catechesis Witebergensium Sacramē-  
tariorū, à pluribus Ecclesijs dānata. Itē Grundfest/  
Fundamentū, scilicet Sacramentariorū errorū et pluriū  
blasphemarū. Præfatio ante Smalcaldicos articulos etc.



Itē, Sic nomine Superintendentum eo in loco emissa sunt  
Scripta, ubi tamē nullius Superintēdentis nomē erat sub-  
iectū. Quasi uerò Ecclesia in alijs locis eos nosset. Con-  
stat autē deprehensos in Sacramentariorum erroribus, ea  
scripta promouisse, alijsq; obtrusisse: Vt sunt, Formula  
Dresdensis, & alia scripta de Coena. Exegetin Sacra-  
mentariam sine Nomine, & cum falsatione alterius signi  
aut notæ, Lipsiæ ædiderunt, Witebergæ sparserunt, pas-  
sim Zizania illa disseminarunt, &c.

Sic Sacramentarij reliqui, eodem pacto Neministicis  
scriptis ludificantur Ecclesiam Dei. Nā et sine Nomi-  
ne & laruis obiectis, plurimos libros & plurima scripta  
emittunt. Superiori anno Heidelbergæ sine autorū nomi-  
nibus, aliquot libri simul eruperūt, ut Consensus orthodo-  
xus sacrae scripturae et ueteris ecclesiae de sētētia uerbo-  
rū Coenæ, adeoq; de tota cōtrouersia Sacramētaria. Con-  
fessio Fidei de uno Deo etc. Theologorū & Ministrorū  
Heidelbergensium. Acta concordiae vnd wie Johan-  
nis Caluini Lere/ mit der alten Kirchen ic. vber-  
einstime. Antidotus aduersus Enthusiastarū etc. cauil-  
los. Hæc (inquā) anno Domini 1575. simul extrusa sūt ab  
ipsis, sine autorū nominibus quæ quidem ego tantū uidi in  
hoc remoto loco, fortē plures foetus ibidē, eadē caligine  
tectos, protulerunt. Non autem lubet referre omnes il-  
los Neministicos libros. Hæc

Hæc tantū exēpla ob oculos ponere uolui, ut tota Chri-  
sti Ecclesiæ illustres facerēt, quali nota Sacramētarij,  
alijsq; nōnulli sese illustres facerēt, nempe, quod Pasquillis  
et Nemisticis scriptis, et effreni maledicentia, qua qui-  
dē omnibus conuicatoribus palmā eripiūt, suam causam  
uelit meliorē efficere. Deīde ut pij omnes, eiusmodi Ne-  
ministica scripta omni genere amarulentia referta, meri-  
tō habeāt suspecta et fugiāt. Deniq; ut omnes boni potius  
aperta, ingenua, recta & explicata ueritate Ecclesiam  
Dei ædificent, quam eiusmodi licentiosis Nemisticis  
scriptis omnia turbare studeant. Si qui etiam lusibus de-  
lectantur, uideant ipsi quid pietas admittat, quid ue dece-  
at, aut etiā prosit, adscribantq; sua Nomina, ut Ecclesia  
pro suo ueteri ac legitimo iure de ijs iudiciū facere possit.

Hanc commonefactionem spero pijs ac bonis non ingrati-  
uilem fore, sed organa maledicentia, sat scio, indignationem, conuicia &  
minas spirabunt, ac blasphemias plurimas mihi rependent, quas tamen Filius  
Dei moderabitur, & impoenitentes breui iudicabit. Benefaciendo quoq; ipse  
Filius Dei, organa maligni Spiritus in se concitauit, et atrociam passus est. Nos  
uerō ipsi decet conformes effici, ut prædictum est. Oro autem eundem Dei  
Filium, Ecclesiæ suæ uigilem ac gubernatorem, ut ueritatem à se patefaciam,  
elementer ac potenter tueatur, reprimat errorum diluuiam undiq; irruentia, se-  
det tempestates passim ingruentes, retundat machinationes Cacodemonum,  
ac seruet sanctum semen in terris, et nos quoq; in eo Sanctorum

cœtu, ut usq; ad exitum huius calamitose uitæ, in con-

fessione agnitæ ueritatis perseueremus,  
& breui ab ipso ad æterna gau-

dia transferamur,

AMEN.

DEO sit Laus & Gloria.







38

CONTRA  
NEMINISTAS  
ET NEMINISTICA  
SCRIPTA.

D. IOHANNES WIGANDVS  
Episcopus Pomezaniensis.

REGIOMONTI BORVSSIÆ  
Typis Georgij Osterbergeri.  
Anno 1576.